Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Proœmium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

Visual Library

CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad uſum Tyronum elucubratus.

PARS SECUNDA.

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Proœmium.

PRæmiſſo jam de Legibus univerſim tractatu, præcipuum Theologiæ Moralis opus aggredimur, explanationem ſcilicet totius legis, quam natura menti humanæ inſcripſit, & Deus lapideis tabulis inſculpſit; ut proinde unicuique non utilis modo, ſed etiam perneceſſaria ſit inſtitutio, quam molimur: Sed Confeſſariis præſertim debet eſſe perfamiliaris; cum enim omnia omnino præcepta in lege naturali fundentur, omnes omnino conſcientiæ caſus ex principiis, quæ paſſim in hoc opere jaciuntur, decidi univerſim poſſunt.

In prima itaque quæſtione præambula examinabimus, quæ ad notitiam horum præceptorum apte acquirendam præmitti debent. Deinde de primo Decalogi præcepto fuſe agemus; atque adeo de Virtute religionis, ejuſque præcipuis actibus, Oratione ſcilicet, & Adoratione, ac de tribus virtutibus Theologalibus, quibus præſertim Deus colitur; Necnon de Vitiis religioni oppoſitis, videlicet de Superſtitione, Blaſphemia, Sacrilegio, &c. Præterea diſceptabimus de ſecundo præcepto, ubi de Voto, & Juramento, necnon de Perfidia, Perjurio, Adjuratione. Tum de tertio præcepto, ubi de Operibus die feſto prohibitis, & de Miſſæ auditione, ac de Jejunio. Poſtmodum de Charitate proximo debita,

bita, ac de Honore parentibus, ac majoribus præſtando. Demum de Octavo præcepto, ubi de iis, quæ ad judicia ſpectant, breviter agendum. De ſexto enim, & nono præcepto agendum cum de Matrimonio; De quinto vero, ſeptimo, & decimo dicemus Deo dante cum de Reſtitutione.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN